

ulterius, quia effectus formalis non differt a forma sicut una essentia ab alia, sed sicut actus essentiae ab essentia; effectus autem cause efficientis differt a causa sicut essentia ab essentia. Etrurus, quia effectus formalis non habet existere a forma, immo est ipsum esse formae, et ipsum ejus existere; secus est de effectu causa efficientis, quia causa efficientis dat existentiam suo effectui. Iterum: effectus formalis est ratio productionis sue formae, quia in hoc vel ex hoc forma dicitur produci, quia existit et est, vel potius dat esse et existere simpliciter vel secundum quid suo formabiliter secus est de effectu causa efficientis. Et multas alias dissimilitudines dari possunt in proposito.

Ad confirmationem, negatur consequentia ibi facta. — Et ad ejus probationem, dicitur primo, quod, si est dimensio (6) consequatur vel comitetur partes, non tamen oportet quod ad multiplicationem partium quarumcumque indifferenter multiplicetur dimensiones (7), sed solum ad multiplicationem partium primi et per se partibilis, quod est quantitas divisiva positionem habens, non autem multiplicationem partium eorum quae sunt per accidens vel secundario partibilia, cujusmodi sunt substantiae, et octo genera accidentium. Et ideo, cum non sint simul aut in eodem supposito multa partibilia primum et per se, quanvis sint simul nulla partibilia, unum per se, et aliud vel alia per accidens aut secundario, ideo non sequitur quod plures dimensiones sint simul per naturam. — Dicitur secundo, quod, si ad multiplicationem partium sequatur pluralitas dimensionum, tunc arguens incidit in id quod vitare intendit; nec illo modo potest evadere inconveniens quod contra alios deducit. Nam, posito quod quantitas non haberet partes alias a partibus substantiae vel alterius quanti, non tamen potest negare quin partes substantiae sint aliae a partibus qualitatis, nec quin partes minus qualitatis sint distinctae a partibus alterius qualitatis in eodem subjecto, ut partes albedinis a partibus dulcedinis in lacte; quia sicut totum differt a toto, ita partes a partibus. Si ergo ad multiplicationem partium sequitur multiplicatio dimensionum, ergo in qualibet corpore sensibili erunt distingue et plurys dimensiones, cum substantia habeat suas partes, et qualitas suas partes distinctas a partibus substantiae. — Dicitur tertio: quod manifeste falsum est quantitatem non habere partes alias a partibus substantiae; quia, hoc posito, sequitur quod quantitas est accidentis omnino indivisible, quod est contra sensum, imaginationem et intellectum, et contra divisionem quanti et quantitatis datum. b. *Metaphysica* (l. c. 18), dicentes quod quantum est divisibile in ea que insunt, etc.

— Dicitur quarto, quod non semper oportet multiplicato effectu formalis multiplicari formam vel rationem illius effectus, nisi quando effectus multiplicati distinguuntur supposito et subjecto, et nullum inter se ordinem habent, sed aequo primo et immediate se habent ad formam, quae est principium talium effectuum. Ubi autem tales effectus non differunt supposito nec subjecto, et quodam ordine profluant a forma, non oportet effectibus multiplicatis multiplicari formam. Sic, atque est in proposito: nam per eandem quantitatem dimensionem habet esse extensum substantiam, quae quantitate subiectur primo, et alia accidentia consequentia quantitatem secundo; inter quae etiam est certus ordo; et omnia talia sunt in eodem supposito. Et hoc in alio proposito simile est: nam per eandem animam dicuntur animatae omnes partes integrales rei animatae.

IV. Ad alia argumenta Aureoli. — Ad argumenta quo secundo loco contra eandem conclusionem inducit, patet responsio per dicta ad argumenta Scotti. Concludunt enim verum uno modo, non autem alio modo. Plus enim repugnat separari quantitatem quam quantitati, si utrumque retineat suam individuationem, ut prius expositum fuit; et rursum inherenter magis naturaliter consequitur accidentia absolute quam relativa, ut dictum est.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scotti. — Ad primum Scotti contra secundam conclusionem, dicitur quod responsio ibi data, bona est: quia illum ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 2, q^ub 2, in solutione secundi, dicens: « Propria virtute nihil agit ultra suam speciem; sed virtute alterius, cuius est instrumentum, potest agere ultra suam speciem, sicut serpens agit ad formam sciamni. » — Haec ille. — Eandem responsionem ponit, 3. p., q. 77, art. 3, in solutione tertii, ut recitatum fuit in probatione conclusionis. — Tunc ad improbationem hujus responsoris, dicitur primo, quod major est falsa. Quia accidentis dum est in substantia subjectiva, non est instrumentum eo modo quo dicit aequalis; scilicet quod substantia sit una causa superior effectiva, et accidentis sit alia causa effectiva inferior; nam ignis et ejus calor non sunt illo modo due cause efficientes, sed potius una, proprie loquendo; nam ipsa substantia est quod efficit, calor autem quo efficit et agit, et non est proprius efficientis, nec agens. — Dicitur secundo, quod, posito, sed non concesso, quod substantia est suum accidentis esse duæ cause efficientes taliter ordinatae ut dicit arguens, adhuc non bene probat quod ambo non possint concurrere ad producendum immediate eandem substantiam, nec quod eadem substantia bis

(a) essentia, — esse Pr.

(b) dimension, — divisio Pr.

(c) dimensiones, — divisiones Pr.

producatur. Hoc patet: quia nullus catholicus, sed solus haereticus manicheus potest negare quin Deus et aliqua causa efficiens secunda, puta ignis, concurrant ad producendum eamdem substantiam, puta ignem; et utraq[ue] causa est effectiva, et immediate producit per suam actionem eamdem effectum. Nec oportet quod idem effectus bis producatur. Et idem est cum sol et arbor producent arborem, vel sol et asinus asinum; et sic de ceteris. Dicitur tertio, quod probatio adducta ad hoc, non valet. Quia fundatur in isto falso principio, et falsa consequentia: scilicet A prius naturaliter agit quam agat B; ergo in aliquo instanti naturae priori agit A, in quo instanti non agit B. Hujus enim oppositum est verum: non enim causa superior dicitur praeagere naturaliter quam agat causa inferior, ideo quia agunt in diversis instantibus naturae; sed solum propter hoc, quia actio primae non dependet ab actione secundae, sed potius econtra. Et de hoc multa dicta sunt in *Primo* tr. etc.

Ad secundum dicitur quod, cum beatus Thomas, et alii doctores cum sequentes, dicunt quod subjectum est causa effectiva proprie passionis, et quod potentia animae fluit ab anima, vel quod accidens causatur a principiis substantiae, et similia, non intelligunt nec intendunt dicere, quod talis substantia subjecta sit immediatum principium actionis quae producitur propria passio, vel tale accidentis; nec quod, proprie levitatis, principale effectivum passionis sit ejus subjectum; sed potius generans vel creans subjectum, general vel creat ejus passionem, licet secundum quemdam ordinem prius et posterior; subjectum autem, puta anima, dicitur esse effectivum proprie passionis satis inproprio, ex hoc scilicet quia propria passio non producitur nisi mediante subjecto. Et hinc intellectum inquit sanctus Thomas, 1 p. q. 77, art. 6, ubi arguit sic tertio loco: « Emanatio quemadmodum motum dicit. Sed nihil moverit a seipso, nisi forte ratione partis; sicut animal dicitur moveri a seipso, quia una pars ejus est movens, et alia mola, neque etiam anima moverit, ut dicitur, 1. de *Animā* (t. c. 66). Ergo anima non causatur se suis potentias. » Ecce argumentum. Sequitur responsum. « Dicendum, inquit, quod emanatio proprietum accidentium a subjecto, non est per aliquam transmutationem, sed per naturalem consequentiam; sicut ex uno naturaliter aliud resultat, ut ex luce color. » — Hoc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Subjectum est causa proprii accidentis, et finalis, et quodammodo activa, et etiam ut materialis, etc.; » ubi patet quod non intendit quod sit principaliter activa, sed quodammodo, cum dicit *quodammodo activa*. Item, art. 7, sic dicit: « In hoc que secundum natu-

ralem ordinem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita quod est primo propinquius, est quodammodo causa eorum quae sunt magis remota, etc. » Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Sicut potentia animae ab essentia fluit, non per transmutationem, sed per naturalem quamdam resultationem, et est sicut enim anima; ita etiam est de una potentia respectu alterius. » — Hoc ille.

Ex quo patet quidem activitatem ponit in essentia animae respectu potentiarum, et in una potentia respectu alterius. — Quod autem intendat proprium et principale effectivum passionis proprie esse id quod general subjectum, apparet; nam 1^a 2^a, q. 23, art. 4, sic dicit: « Omne movens, trahendo ad se patiens, tria facit in ipso. Primo quidem, dat ei inclinationem vel aptitudinem ut in ipsum tendat; sicut cum corpus leve, quod est sursum, dat levitatem corpori generate, per quam habet inclinationem et aptitudinem ad hoc quod sit sursum. Secundo, si corpus generatum est extra proprium locum, dat ei moveri ad locum. Tertio, dat ei quiescere in loco, cum pervenerit; quia ex eadem causa aliquid quietet in loco, per quam movebatur ad locum, etc. » — Hoc ille. — Ex quo patet quod ab eodem generatur et effectiva producitur ignis et sua propria passio, quae est levitas, et ejus motus et quies naturalis. Similia dicit ubiunque loquitur de motu naturali gravium et levium, ut patet in *Scripto super 8. Physiorum* lect. 84, illo capitulo quod sic incipit: *Sed accidit et hoc ab aliquo*; etc. Item, 2. *Sentent.*, dist. 14, q. 1, art. 3; et dist. 26, q. 1, art. 2 (ad 2^{am}). Item, *de Vacitate*, q. 24, art. 1; et, *de Potentia Dev.*, q. 3, art. 14, in solutione quinti, ubi sic dicit: « Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quandoque retinet virtutem a principali agente impressam. Unde sagitta tandem mouetur a projectante, quandoque manet vis impulsus projectantis. Sicut etiam generatum tandem mouetur a generante, in gravibus et levibus, quandoque retinet formam sibi traditam a generante, etc. » Et hinc est quod communiter sanctus Thomas dicit, quod propria passio, seu accidens proprium, causatur a principiis subjecti, quasi idem sit causa productiva utrusque. De hoc, 1. *Sentent.*, dist. 17, q. 1, art. 2, in solutione secundi, sic dicit: « Subjectum diverso modo se habet ad diversa accidentia. Quidam enim sunt accidentia naturalia, quae causantur ex principiis subjecti. Et hoc dupliceiter: quia aut causantur a principiis speciei, et sic sunt proprie passiones, quae consequuntur totam speciem; vel ex principiis individui, et sic sunt accidentia communia, consequentia principia naturalia individui. Sunt etiam quidam accidentia per violentiam inducta, sicut calor in aquam, et ista accidentia sunt repugnantia principiis subjecti. Quidam autem sunt, quae cau-

(*) Cfr. praesettim 1. *Sentent.*, dist. 38, q. 1, art. 1, G., & 2, 1, ad 2^{am}.

— *accidit et hoc ab aliquo.* — *et hoc ab modo Pr.*

santur ab extrinseco, non repugnantia principiis subjecti, sed magis perficiencia ipsum, sicut lumen in aere. Tamen sciendum est quod omnibus accidentibus, communiter loquendo, subjectum est causa quodammodo, inquantum scilicet accidentia in esse subjecti substantificantur; non tamen ita quod ex principiis subjecti omnia accidentia educantur. » — Hae ille. — Similia dicit, 2. *Sentent.*, dist. 26, q. 4, art. 2, in solutione secundi; et in multis aliis locis.

De hac materia diffuse habetur in secundo *Quodlibeto* Godofridi, q. 4, qua querit: Utrum aliqua substantia creata, sit immediatum principium activum alieius operationis. Unde Bernardus, impugnando Godofridum, ibidem, sic dicit: « Si loquamur, inquit, de accidente quod consequitur immediate substantiam, sicut propria passio, sic verum est quod eadem actione qua producitur tale subjectum, producitur tale accidens: non enim alia actione producitur triangulus, et aequalitas trium angulorum duobus rectis. Et hoc est, quia subjectum non potest habere actionem, nisi secundum quod intelligitur ut est ens actu; sed, secundum quod est actu, immediate consequuntur ipsum talia accidentia; ergo per actionem subjecti talia accidentia propria producuntur non possunt. Item: talia accidentia immediate consequuntur essentiam rei; hoc autem non esset, si causarentur (x) mediante aliqua actione rei; cum actio rei creare sit alia ab ea; subjectum autem non potest esse principium activum respectu proprii accidentis. Sed de accidente separabili, quod non consequitur immediate essentiam subjecti, non est universaliter verum; immo oportet ponere quod subjectum sit principium activum multorum accidentium, sicut patet de aqua calefacta, que reducit seipsum ad frigiditatem, quia sibi dimissa redit ad frigiditatem, nullo alio agente extrinseco, etc. » Et, post multa, subdit: « Inquirendum est quomodo subjectum potest esse activum respectu accidentis. Et dicendum est quod de proprio verum est quod non est activum. Sed, de communi accidente loquendo, distinguendum est: Quia duplex est accidens: unum, quod habet esse permanens in subjecto; aliud, quod habet esse quasi in fieri, sicut operatio. Primo modo non potest subjectum esse causa activa per se, nisi in virtute alterius, vel intrinseci, vel extrinseci: sicut calor exterior potest esse causa nigredinis in subjecto; vel etiam interior, ita quod nigredo causabitur a subjecto nigro per calorem interiorem, qui (6) certum est quod non agit nisi in virtute subjecti; unde non potest dici quod subjectum nullo modo sit causa nigredinis, cum causatur a calore intrinseco, vel cum rubedo causatur ab aliquo accidente intrinseco.

Sed quæres de primo accidente, puta de calore, utrum subjectum sit per se causa activa ejus. Et dicendum quod oportet ire ad tale accidentis, quod sit in subjecto per virtutem activam alterius, sicut calor naturalis per virtutem generantis: ita quod primum accidentis absolutum, et permanens semper habet subjectum per virtutem activam alterius, et non per suam. Sed, mediante illo accidente, subjectum potest esse causâ alterius: nam Philosophus, in *de Sensu et Sensato*, ponit quod humidum intrinsecum est causa saporis, et calidum intrinsecum causa odoris; et sic unum accidentis intrinsecum, est causa alterius; quod non est nisi in virtute subjecti, cum accidentis non agat, sed sit ratio agendi. Si autem loquamur de accidente quod habet esse in fieri in subjecto, ut est operatio, sic dicendum quod subjectum potest esse causa activa, vel magis elicitive talis accidentis, mediante accidente proprio; sicut est potentia elicitive, a qua immediate elicitor operatio. Sicut enim cuiilibet rei attribuitur propria forma, ita propria operatio; sed quodam ordine, quia forma prius, et operatio ex consequenti; et ideo, cum forma est totaliter ab alio, non potest dici quod aliquid habeat formam a se effective; sed operatio est a principio intrinseco, quod est forma; et ideo oportet quod operatio sit elicitive vel effective ab operante, licet aliquando operatio transeat extra, et aliquando maneat in substantia operantis. » — Hec Bernardus de Gannato. — Similia dicit, in quarto *Quodlibeto*, q. 2, Quæ omnia videntur benedicta; hoc solo excepto, quod dicit aquam calefactam reducere seipsum effective ad frigiditatem. Hoc enim falsum est, et contradicit dictis ejusdem, quibus dicit quod nulla substantia efficit aliquid suum accidentis permanens, nisi mediante aliquo alio; non autem appetit quale accidentis absolutum effectivum mediet inter aquam et ejus frigiditatem; sola enim quantitas mediat, que nullo modo est ratio agendi; et ideo dicendum quod sicut gravitas aquæ, et ejus motus naturalis, et quies, sunt a generante, ita et frigiditas ejus. Hoc sufficiat ad concordandum dicta sancti Thomæ in proposito.

Dicitur secundo, quod illa maxima quam assumit arguens, scilicet quod *omnis potentia mere passiva, est indifferenter ad opposita vel contradictionis*, falsa est, et habet multas instantias. Prima est de materia coeli, que se habet pure passive ad formam quam habet, et tamen non est in potentia ad aliam formam, nec ad privationem illius formæ quam habet. Secunda est, quia materia prima est in potentia mere passiva ad formam, nec tamen potest esse sine forma. Tertia est, quia quantitas pure passive se habet ad figuram, nec tamen potest esse sine figura. Et multæ aliae instantiae dari possunt.

Dicitur tertio quod Aristoteles non intendit illam maximam, sed solum ejus conversam, scilicet quod *omnis potentia contradictionis est passiva, non*

(x) *causarentur — causaretur* Pr.
(6) *qui. — qua* Pr.

tamen quod sit mero passiva; sicut patet de voluntate respectu oppositarum electionum, quarum utramque partialiter efficit. Et multa alia dicenda essent ad intellectum illarum maximarum, quae non sunt ad propositum.

Ad tertium patet responsio per predicta. Quia primum accidens inhaerens immediate substantiae creatae, non causatur proprie effective a tali substantia, sed ab aliquo exteriori: scilicet vel a Deo, qui non agit mediante aliquo accidente; vel ab aliqua substantia creata corporali, vel spirituali; et quelibet illarum agit mediante aliquo accidente, quod est immediatum et proximum principium actionis qua producitur subjectum et ejus propriam passio. Et ita non concludit quod aliqua substantia creata, sit immediatum principium alicujus actionis; sed solus Deus est hujusmodi, quia ejus solius actio est substantia.

Ad confirmationem, patet per predicta: quia conceditur quod effectus qualis et quantus potest produci a substantia non quali nec quanta, sed sine quocumque accidente existente. Illa tamen substantia est increata; sicut patuit in prima productione accidentium et totius mundi. Sed, loquendo de substantia creata, hoc est impossibile: quia quelibet talis habet qualitatem, que est sibi principium agendi; licet substantiae separatae sint sine quantitate molis.

Ad aliud quod allegatur de *4. Meteorologicorum*, dicitur quod non aliud concludit nisi quod substantia perfecta potest esse principium actionis primum; non autem quod possit esse proximum, nec quod alicujus creature potentia operativa sit ejus essentia. Cuius rationem assignat sanctus Thomas in multis locis, potissime de *Spiritualibus creaturis*, quæst. ult., ubi sic dicit: « Impossibile est quod alicujus substantiae creatæ sua essentia sit sua operativa potentia. Manifestum est enim quod diversi actus, diversorum sunt; semper vero actus proportionatur ei cuius est actus. Sicut autem ipsum esse est actualitas quadam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentie seu virtutis. Secundum enim hoc, utraque earum est in actu: essentia quidem secundum esse; potentia vero secundum operari. Unde, cum in nulla creatura suum operari sit suum esse, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creature operativa potentia sit ejus essentia; sed solius Dei proprium est ut sua essentia sit sua potentia. » — Haec ille. — Item, in quæstionibus de *Anima*, q. 12, dicit sic: « Unumquodque agit secundum quod est actu, illud scilicet quod agit; ignis enim calefacit non inquantum est lucidus, sed inquantum est actu calidus. Et exinde est quod omne agens agit sibi simile. Unde oportet quod ex eo quod agitur, consideretur principium a quo agitur: oportet enim utrumque esse conforme; unde, 2. *Physicorum* (l. c. 70), dicitur quod forma

et generans sunt idem specie. Et ideo quando illud quod agitur, non pertinet ad esse substantiale rei, impossibile est quod principium quo agitur, sit aliquid de essentia rei. Et hoc manifeste apparet in agentibus naturalibus. Quia enim agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam (quod quidem fit secundum quod materia primo disponitur ad formam; et tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis), necesse est quod etiam ex parte agentis, illud quo immediate agit, sit forma accidentalis, vel correspondens dispositioni materie; sed oportet ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis, quasi instrumentum ejus, alias non induceret agendo formam substantialem. Et, propter hoc, in elementis non apparent aliqua principia actionum, nisi qualitates active et passive; que tamen agunt in virtute formarum substantiarum; et, propter hoc, earum actio non solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales; nam in artificialibus actio instrumenti terminatur ad formam intentanam ab artifice. Si vero est aliquod agens, quod directe et immediate producat substantiam sua actione (sicut nos dicimus de Deo, qui creando producit rerum substantias; et sicut Avicenna dicit de intelligentia agente, a qua, secundum ipsum, effluunt formæ substantiales in istis inferioribus), hujusmodi agens agit per suam essentiam; et sic non erit in eo aliud potentia activa et ejus essentia. » — Haec ille. — Et similia ponit, 1 p., q. 77, art. 4; et in multis aliis locis, ubi agit de differentia potentiarum animæ ab ejus essentia.

Ad quartum patet responsio per predicta. Quia verum est quod illa forma est potentia operativa, et immediatum principium agendi, in qua genitum immediate assimilatur generanti, et productum producenti, et passum agenti. Et quia nullum productum, vel genitum, vel passum creatum, immediate assimilatur suo creato generanti, aut producenti, aut agenti, in formâ substanciali, sed immediate assimilatur sibi quoad dispositiones accidentales, licet quandoque remote assimiletur ei quoad formam substantialem; ideo nec ex parte agentis creati proxima ratio agendi est forma substancialis, sed aliquod accidens; licet principium remotum agendi sit forma substancialis. Secus autem est de Deo Patre in generatione Verbi, qui non assimilat sibi Verbum productum directe et immediate quoad aliquod accidens, nec quoad aliquem respectum, sed immediate et directe quoad divinam essentiam. Et ideo potentia generandi in Deo non dicit principialiter et in recto accidens, nec relationem, sed divinam essentiam. Et hoc intelligit sanctus Thomas ubi ponit predictam maximam: utputa, 1 p., q. 41, art. 5; et de *Potentia Dei*, q. 2, art. 2; et multis aliis locis. Et haec solutio confirmatur ex dictis ejus in de *Anima* ubi supra (art. 12). Statim enim post

verba superius allegata, sic subdit : « De potentia vero passiva, manifestum est quod potentia passiva quae est ad actum substantialem, est in genere substantiae; et quae est ad actum accidentalem, est in genere accidentis per reductionem, sicut principium, et non sicut completa species : quia unumquodque genus dividitur per potentiam et actum; unde potentia homo est in genere substantiae, et potentia album est in genere accidentis, scilicet qualitatis. Manifestum est autem quod potentiae anime, sive sint activae, sive passivae, non dicuntur directe per respectum ad aliquid substantiale, sed ad aliquid accidentale. Esse enim sentiens vel intelligens actu, non est substantiale, sed accidentale, ad quod ordinatur intellectus et sensus; et similiter esse magnum vel parvum, ad quod ordinatur vis augmentativa. Generativa autem potentia et nutritiva ordinantur (2) quidem ad substantiam producendam vel conservandam, sed per transmutationem materie; unde talis actio, sicut et aliorum agentium naturalium, sit a substantia, mediante principio accidentali. Manifestum est ergo quod ipsa essentia animae non est immediatum principium suarum operationum; sed operatur mediante principiis accidentalibus. Unde ejus potentiae sunt proprietates ejus. » — Haec ille. — Ex quibus appetit quomodo intelligit illam maximam quam arguens recitat, scilicet quod potentia generativa in unoquoque, etc. Hoc sufficiat ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem primo loco inducta.

II. Ad alia argumenta Scoti. — **Ad primum** vero eorum quae secundo loco inducit contra secundam conclusionem, dicitur quod accidens separatum potest immutare ad formam substantialem, in virtute substantiae quam informavit, ut ejus instrumentum. Et cum queritur quid intelligitur per hoc quod dicitur *in virtute substantiae agere*, etc.; — dicitur quod per hoc intelligitur aliquid absolutum, quod accidens separatum nunc existens prius accepit in substantia cui inhaesit. Hoc autem absolutum est duplex. Primum est natura propria accidentis; quae, sicut fuit instrumentum substantiae sibi subjectae, et virtus substantiae potens in plus ratione subjecti quam si non haberet tale subjectum, ant alterius speciei, ita et nunc. Secundum absolutum est esse proprium accidentis, quod recepit (6) in tali subjecto, quod adhuc habet idem esse omnino in numero, dum est separatum a tali subjecto. Unde quia habet omnia absoluta quae habebat in subjecto, per consequens habet eamdem virtutem quam prius, et potest in omnia que potuit prius.

Cum autem contra hoc dicit arguens, quia in accidente nihil est nobilis accidente; — hoc negatur.

(2) ordinantur. — ordinatur Pr.
(6) receperit. — receperit Pr.

Quia esse accidentis nobilis est accidente, sicut actus sua potentia. Item, accidens nobilis fuit et est, quia fuit instrumentum et virtus talis substantiae, quam sit ex sola ratione proprii generis aut propriæ speciei; sicut calor naturalis hominis est nobilior quam calor asini, aut calor plantæ vel ignis, vel calor qui produceretur sine subjecto. Et sic idem accidens est nobilis seipso, et ignobilis, secundum diversas considerationes in re fundatas. Et sic patet quod cum dicimus quod calor ignis in virtute substantiae potest producere substantiam et hujusmodi, non intelligimus quod virtus substantiae vel formæ substantialis ignis recipiatur subjective in calore, sicut unum accidens in alio, sed quod ipsem calor est virtus ignis, sicut quilibet activa qualitas consequens speciem subjecti dicitur ejus naturalis virtus, sicut dicit sanctus Thomas in multis locis. Potissime, *de Spiritualibus creaturis*, quest. ultima, in solutione decimi argumenti, sic dicit : « Forma accidentalis, que est principium actionis, ipsam est virtus substantiae agentis. Non autem proceditur in infinitum, ut cujuslibet virtutis sit alia virtus. » — Haec ille. — Item, 1. *Sentent.*, dist 3, q. 4, art. 2, sic dicit : « Effectus proprius et immediatus oportet quod proportionetur sua cause. Unde oportet quod in omnibus illis in quibus principium operationis proximum est de genere substantiae, quod operatio sua sit substantia. Et hoc solum in Deo est. Et ideo ipse solus est qui non agit per potentiam medium differentem a substantia sua. In omnibus autem aliis operatio est accidens. Et ideo oportet quod proximum principium operationis sit accidens; sicut videmus in corporalibus, quia forma substantialis ignis nullam habet operationem, nisi mediantibus qualitatibus activis et passivis, que sunt quasi virtutes et potentiae ipsius. » Ex quibus patet quod, cum virtus sit principium proximum operationis, ignis non habet aliquam virtutem activam aliam a qualitatibus activis et passivis. Et ideo, cum dicitur quod calor agit in virtute ignis, non est aliud dicere nisi quod calor est virtus ignis, ita ut locutio transitiva resolvatur in transitivam. Et sic intelligi debet illud quod ibidem dicit, art. 3, in solutione secundi, ubi sic dicit : « Accidens ex seipso non habet virtutem producendi aliud accidens; sed a substantia, etc. »

Non tamen negandum est quin accidentia Eucharistiae agent per virtutem eis superadditam, licet non ab igne. Et de hoc Petrus de Palude (dist. 12, q. 4), bene ad propositum, sic inquit : « Accidentia Eucharistiae possunt generare formam substantiam. Cujus contrarium dicunt quidam, scilicet Durandus (dist. 12, q. 2). Quia nec in virtute propria; quia tunc agerent ultra propriam speciem. Nec virtute substantiae cui insunt; quia sunt sine subjecto. Nec virtute substantiae cui infuerunt; quia, secundum ordinem nature, nullum instru-

mentum potest agere in virtute principalis agentis, nisi sit actualiter sibi conjunctum, vel nisi recipiat ab eo formam immanentem, ut patet in decisione seminis; sed species sunt actu separatae a substantia, nec recipiunt ab ea formam immanentem, per quam agant. Ergo, etc. — Sed ista ratio est contra eos, ut videtur. Quia, sicut nihil produceit nobilis se, sic nihil corruptitur nisi a fortiori et digniori se; quod enim corruptit aliud, dominatur illi. Unde videtur extraneum dicere quod species possint substantiam corrumpere, et non substantiam generare. Et ideo dicendum quod ad generationem oportet dare generans univoicum, quod est aequum nobile, vel aequivolum principale, quod est nobilis effectu. Sed ad corruptionem, quae potest esse per solam subtractionem influentie conservantis, quia conservans influit mediatis dispositionibus accidentalibus, sufficit corruptus dominari illis dispositionibus, quibus destruetis, et subjectum corruptitur. Et sic propria virtute species possunt corruptere, et non generare. Cum enim non habent plus quam ante conversionem, sicut tunc propria virtute non generabant, ita nec nunc. Sed quod postea dicunt, quod nec virtute alterius generant, falsum est. Et quod dicunt, quod nec virtute substantiae cui insunt, verum est; quia sunt sine substantia. Et ultra, quod (2) nec virtute substantiae cui insuerunt, possit concedi. Sed virtute Dei sustentantis: potest enim Deus accidentia sustentare in aequali vigore, in quanto cum substantia sustentabantur; unde, si tunc generabant in virtute substantiae create sustentantis (6), ita nunc generabunt virtute Dei sustentantis. Potest etiam dici quod virtute substantiae conversae, sicut semen decisum: quia, licet non habeant formam aliam sibi impressam, tamen totum id quod sunt et totam naturam habuerunt in subjecto et a subjecto, saltem sicut a causa materiali; et ideo quando conservantur in eis tale esse quale in subjecto habebant, per consequens habent tale agere sicut prius habebant; et intantum dicuntur agere in virtute substantiae conversae, ex quo illud quod in ea habuerunt, idem numero eis servatur. Ex his ergo patet quod triplici virtute possunt generare. Primo, virtute Dei: quia, cum generare non sit magis actus substantiae quam subsistere (cum omnis prima substantia subsistat secundum naturam, non autem generet), sicut illis accidentibus virtute Dei competit subsistere, pari ratione generare; cum Deus possit communicare supernaturaliter unicuius creature, licet inferiori, illud quod convenit naturaliter superiori (sicut celo generare animam, quod convenit animali), sic et generare substantiam, quod convenit substantiae naturaliter, potest Deus communicare accidenti supernaturaliter. Secundo, vir-

tute substantiae que fuit ibi, ut dictum est. Tertio, virtute coeli: sicut enim cum (2) mus generat murem, hoc facit immediate potentia muris, in virtute ipsius muris particularis agentis, et, cum hoc, in virtute coeli; quando autem mus per putrefactionem generatur, hoc est totaliter virtute coeli; sic quando celum conservat vinum ante consecrationem, qualitas vini, in virtute ipsius et (6) coeli, generat ex gutta aquae appositum vinum; sed quando species sunt separate post consecrationem, tunc ipse, virtute coeli et conservantis in eodem vigore, generant idem quod prius; sicut si Deus separaret quantitatem ignis cum calore, comburendo aerem, generaret ignem, sicut prius, in virtute coeli, quia celum non imprimit accidentibus mediante subiecto, sed econtra; unde non cessat influere et conservare accidens, corrupta substantia. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum patet ex predictis. Conceditur enim quod virtus substantiae converse recipitur in accidentibus quando causantur et fluunt a principiis ejus, loquendo intransitive, modo praexposito: scilicet quia talia accidentia habent quod sunt virtus et instrumentum substantiae, ex hoc quod fluunt ab ea; non autem quod talis substantia causet in accidentibus aliquam virtutem realiter distinctam ab eis. Cum quo stat quod subjective recipiunt aliquam virtutem influxam a celo, et aliquam a Deo. Cum autem dicit argutus, quod verus intellectus talium verborum non est aliis nisi ille quem recitat, — falsum est: quia nulla habitudo, vel relatio, seu respectus, potest dici influentia, nec virtus activa, nec passiva, ut alias visum est (7).

Ad tertium negatur antecedens: quia, licet quod non est aliquid, nec in se, nec in suo effectu, non possit dici causa generati; tamen quod aliquid est in effectu reliquo, potest dici causa, mediata saltem et remota. De hoc sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 11, in solutione quinti, ut supra (8) allegatum est, sic dicit: « Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam. Unde sagittam diu movetur a projiciente, quamdiu manet impulsus projicientis. Sieut etiam generatum tamdiu movetur a generante, in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante. Unde et semen tamdiu intelligitur moveri ab anima generanti, quamdiu manet virtus impressa ab anima, licet corporaliter sint divisa. Oportet autem movens et motum simul esse, quantum ad motus principium, non tamen quantum ad totum motum, ut appareat in projectis. » — Hæc ille. — Ibidem

(2) *cum...* — Om. Pr.

(6) *dt.* — Om. Pr.

(7) Cfr. praesertim 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 3, § 4, 1, ad 2^{um}.

(8) Cfr. praesent. paragr., 1, ad 2^{um}.

(α) *quod.* — *quia* Pr.

(6) a verbis potest enim usque ad *sustentantis*, om. Pr.

etiam dicit, in solutione duodecimi : « *Virtus celestis corporis in inferioribus corporibus relinquitur, in quantum ab eo transmutantur, sicut a primo alterante.* Et, propter hoc, dicit Philosophus, in libro de *Animalibus*, quod omnia corpora sunt plena virtutibus animae, etc. » — Hac ille.

Ad quartum, negatur minor : quia accidens separatum a subjecto substantiali in Eucharistia, ad productionem substantiae agit, non solum in virtute propria, sed ut est virtus substantiae converse, et ut instrumentum coeli et Dei, ut predictum est (ad primum).

Ad quintum patet responsio per ea quae dicta sunt ad tertium : quia quādū qualitates Eucharistiae retinēnt virtutem acceptam a substantia, tamdiu moventur ab ea; et, praeter hoc, moventur a corlo et a Deo, motione virtuali et influxiva.

Ad sextum dicitur quod agens aequivocum instrumentale potest esse imperfectius suo effectu, non autem principale agens. Ideo solutio quam recitat, bona est, et secundum mentem sancti Thomae. Unde, prima distinctione hujus *Quarti*, q. 1, art. 4, q^a 1, in solutione tertii, sic dicit : « *Agens non semper est nobilior patiente, simpliciter loquendo, sed in quantum est agens. Agit enim ferrum vel ignis in corpus humanum, quod est simpliciter nobilior; quo tamen ignis est nobilior, in quantum est actu calidus; et secundum hoc agit in corpus humanum.* Et similiter non oportet quod res ille materiales, que sunt in sacramentis, sint simpliciter anima nobiliores, sed secundum quid, in quantum sunt instrumenta divinae misericordiae operantis ad justificationem. Nec iterum oportet quod instrumentaliter agens sit simpliciter nobilior effectu : quia effectus non proportionatur instrumento, sed principali agenti, quod quandoque per vilia instrumenta nobiliores effectus inducit, sicut medicus inducit sanitatem per clysterium, etc. » — Hac ille. — Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit : « *Causa univoca vel non univoca, proprie loquendo et simpliciter sunt divisiones (2) illius causae cuius est similitudinem habere cum effectu. Hoe autem est principalis agentis, et non instrumenti, ut dicit Alexander, secundum quod narrat Commentator in 12. *Metaphysicæ* (c. 24). Et ideo, proprie loquendo, instrumentum neque est causa univoca, neque aequivoca. Posset tamen reduci ad utrumlibet, secundum quod principale agens, in cuius virtute agit, est causa univoca, vel aequivoca.* » — Hac ille. — Et similia dicit, 3 p., q. 62, art. 1.

Cum vero dicit arguens, quod illa propositio est sibi per se nota, scilicet : *simpliciter imperfectius secundum speciem vel genus, non potest esse totale principium actuum respectu perfectoris, etc.*; — dicitur quod nos non ponimus quod

accidens Eucharistiae, vel aliud agens creatum, sit totale agens alicuius effectus, si ly *totale* importet exclusionem alterius agentis, quod non sit pars, vel forma, vel aliquid talis agentis creati; quia cujuslibet effectus Deus est causa principalis. Si vero ly *totale* sumatur ex parte effectus, ut sit sensus, quod *quidquid est in tali effectu, est productum a tali causa, et non solum pars, sed totum*, tunc conceditur quod aliquid imperfectius secundum speciem, vel genus, potest esse causa totalis alicuius perfectioris; sed tamen non erit causa principalis, sed instrumentalis, agens enim in virtute alterius perfectioris, vel aequo perfecti (2) illi effectui. Nec ex ista positione destruitur aliqua demonstratio probans ordinem entium, aut quod primum sit perfectissimum; nec favetur illi protervie, que poneret totum universum, et omne quod est in eo, esse factum a musea; nec sequuntur alia ibidem adducta; quia nos semper ponimus quod nihil imperfectius est causa principalis alicuius perfectioris se, sed hoc solum dicimus de instrumentalis.

Et tunc, *ad primam hujus improbationem*, negatur minor. Non enim ponimus quod aliqua causa aequivoca totalis, vel principalis, sit imperfectior causa univoca alicuius effectus; sed solum hoc dicimus de causa instrumentalis, que, proprie loquendo, non debet dici aequivoca, nec univoca, ut præhabitum est.

Ad secundam probationem, patet per idem. Quia accidens quod ponimus posse immutare ad formam substantiali instrumentaliter, non est proprie causa aequivoca; et, dato quod posset dici aequivoca, non tamen principalis, nec totalis. Talem autem causam aequivocam non oportet esse perfectorem causa univoca. Nec ad talen causam oportet reducere totum ordinem accidentalem causarum univocarum, sed solum ad causam aequivocam principalem, cuius causæ ille inferiores univocæ sint quasi instrumenta, et moventia mota; vel potius in causam analogam, sicut ostendit sanctus Thomas, 1 p., q. 43, art. 5, in solutione primi, ubi sic dicit : « *Licet in predicationibus oporteat aequivoca ad univocum reducere, tamen in actionibus agens non univocum ex necessitate procedit agens univocum.* Agens enim non univocum, est causa universalis totius speciei, sicut sol est causa generationis omnium hominum; agens vero univocum, non est causa agens universalis totius speciei (alioquin esset causa sui ipsius, cum sub specie contineatur), sed est causa particularis respectu hujus individui, quod in participatione speciei constituit; causa autem universalis prior est particulari. Hoc autem agens universale, licet non sit univocum, non tamen est aequivocum omnino, quia sic non faceret sibi simile; sed potest dici agens analogum, sicut in predicatione

(2) *divisiones.* — *dimensiones* Pr.

(2) *perfecti.* — *perfectæ* Pr.

nibus omnia univoca reducuntur ad unum primum non univocum, sed analogum, quod est ens. » — Haec ille.

Ad tertiam, dicitur primo, quod minor argumenti est falsa simpliciter. Nam Deus nulli creature dat esse formaliter, sed effective solum; et tamen perfectiori modo dat esse asino, vel lapidi suum esse limitatum quod habet, quam si daret sibi illud idem esse non effective, sed formaliter; quia hoc secundum argueret imperfectionem in Deo, non autem primum. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 51; art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Vivificare effective, simpliciter perfectionis est; unde et Deo convenit, secundum illud 1. Regum. 2 (v. 6): *Dominus mortificat et vivificat*. Sed vivificare formaliter, est substantiae que est pars aliquius naturae, et non habentis in se integrum naturam speciei. Unde substantia spiritualis, que non est unita corpori, est perfectior quam ea que est corpori unita. » — Haec ille. — Simile ponit, *de Spiritualibus creaturis*, q. 5, in solutione sexti argumenti. Conceditur tamen quod si divina essentia daret asino vel lapidi esse divinum, perfectius esse sibi daret quam modo det effective. Sed hoc non est ad propositum; quia tunc daret sibi aliud esse quam det modo. — Dicitur secundo, quod similitudo assumpta (z) non valet. Quia non est duplex modus dandi esse formaliter, sicut est duplex modus dandi effective esse, scilicet ut agens principale, et ut instrumentale. Et ideo, licet nullum accidens possit dare formaliter perfectius esse quam sit suum, potest tamen dare effective esse perfectius suo proprio, non quidem ut efficiens principale, sed ut instrumentale, in virtute aliquius perfectioris, ut dictum est. Quod autem additur de divina essentia, nihil valet: quia divina essentia non potest esse instrumentum alienius perfectioris se, sicut accidens est instrumentum substantie; et ideo essentia divina non potest dare perfectius esse effective quam det formaliter; sequitur est de accidente. — Dicitur tertio, quod argumentum peccat per fallaciam figurae dictioñis; quia mutatur *quid in quomodo*, vel res in modum. Concludit enim, si aliquid concludat, quod accidens non potest dare esse perfectiori modo quam formaliter; cum tamen deberet concludere quod non posset dare esse perfectius effective quam illud quod dat *formaliter*. Et multos alios defectus habet illud argumentum.

Ad quartam probationem, dicitur primo, quod illud argumentum non procedit contra nos, si loquatur de causa efficiente principali; quia nos non ponimus quod talis causa sit imperfectior suo effectu, nec quod ejus effectus sit simpliciter perfectior ea. — Dicitur secundo, quod nec procedit, si arguit de causa instrumentalis: quia omnis instrumentalis causa etiam est aequa perfecta vel perfectior suo

effectu aliquo modo, scilicet vel actu, vel virtute, vel ut talis res est, vel ut instrumentum alterius est; sicut in simili dicit sanctus Thomas, 1^a 2^o, q. 414, art. 3, in solutione tertii, dicens: « *Gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut et semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem, etc.* » — Haec ille. — Item, 1 p., q. 418, art. 1, in solutione secundi, sic dicit: « *Virtus generativa non generat solum in virtute propria, sed in virtute totius anime, cuius est potentia. Et ideo virtus generativa plantae generat plantam; virtus vero generativa animalis generat animal. Quanto enim anima fuerit perfectior, tanto virtus ejus generativa ordinatur ad perfectiore effectum.* » — Haec ille. — Item, ibidem, in principali responsione: « *Ex anima, inquit, generantis derivatur quedam virtus activa ad ipsum semen animalis, vel plantae, sicut a principali agente derivatur quedam vis motiva ad instrumentum. Et sicut non refert dicere quod aliquid moveatur ab instrumento, vel a principali agente; ita non refert dicere quod anima generanti causeatur ab anima generantis, vel a vi que est ab ipsa derivata in semine.* » — Haec ille, cum multis aliis bene facientibus ad propositum. — Simile dicit, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 14, per totum, polissime in solutione quarti, ubi dicit: « *Anima sensibilis non actu est in semine secundum propriam speciem, sed sicut in virtute activa: sicut dominus in actu est in mente artificis, ut in virtute activa; et sicut formae corporales sunt in virtutibus coelestibus.* » — Haec ille. — Ex quibus patet quod causa instrumentalis est aequalis aliquo modo effectui per illam aliquo modo inducto, et quodammodo continet illum in actu, et licet non secundum rationem propriæ speciei, tamen secundum actum virtutis. — Dicitur tertio, quod ratio Avicenne solum arguit de causa que ponetur esse omnino imperfectior suo effectu, tam actu quam virtute; non autem nos sic ponimus; et ita nihil arguit contra nos. — Dicitur quarto, quod si arguens nil aliud intendit concludere, nisi quod principale causans aequivoceum, non est imperfectius, omnino frustra laboravit; quia hoc gratis sibi concessum fuisset. Si autem intendit concludere de agente instrumentalis, etiam frustra laboravit: quia, ut dictum est, non concludit quod tale oporteat esse perfectius in actu formalis; sufficit enim quod sit perfectius in virtuali actu. — Dicitur quinto, quod accidens separatum non ponimus esse totalem nec principalem causam effectivam generationis substantie, sed partiam et instrumentalem. Et simile est de corruptione substantie, et de inductione ultimi gradus alterationis disponentis ad corruptionem substantie. — Dicitur sexto, quod illud quod ultimo additur de gutta aquae posita, etc., falsum est: quia calor ignis remanens, et conservatus a

(z) in majori. — Ad Pr.

Deo in priori existentia, sine priori substantia, posset destruere guttam aquae sibi debite approximatam, in virtute pristinae substantiae, et in virtute cœli, et in virtute Dei, ut prius dictum fuit (ad primum).

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra tertiam conclusionem, et ad omnia sequentia, dicitur primo, quod non est mens beati Thomae, quod, cum ex accidentibus Eucharistiae generatur aliqua substantia, puta vermis, quod forma substantialis rei noviter generatae ex illis, recipiatur subjective in solis dimensionibus interminatis, et non in aliqua materia; quia hoc esset multum inconveniens, ut bene concludit arguens per octo media. Sed intendit quod dimensiones interminatae convertuntur divina virtute in materiam quantam, que est subjectum formae substantialis noviter inductae, et est pars compositi noviter generati. Et quod haec fuerit mens sancti Thomae, patet. Nam, praesenti distinctione, q. 4, art. 2, q^u 4, in solutione secundi, sic dicit: « Hoc nō est remotum, quin Deus posset mutare corpus in spiritum; et tamen, quantum ad aliquid, dimensiones interminatae magis sunt propinquae materie corporali quam corpus spiritui. » — Haec ille. — Item, in solutione tertii, sic dicit: « Sicut quando aer convertitur in ignem, non dicitur quod materia ignis fiat duo, scilicet materia ignis et forma ignis, sed unum tantum quod fit, scilicet ignis; ita etiam dimensiones illae non dicuntur duo fieri, sed unum tantum, scilicet materia sic dimensionata. Et hoc fit divina virtute. » — Haec ille. — Item, in solutione quarti, sic dicit: « Secundum quamlibet positionem, oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum, et aliquid naturale. Reditus enim substantiae, vel creatio materie, vel conversio dimensionum in materiam, est miraculum. Sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones precesserunt in dimensionibus, hoc est naturale. » — Haec ille. — Et simile dicit in principali responsione, ut recitatum est in probatione tertiae conclusionis. Item, 3 p., q. 77, art. 5, in solutione tertii, sic dicit: « Quantitas dimensiva panis et vini retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiae; et ideo potest transire in utrumque, scilicet in substantiam et dimensionem. » — Haec ille. — Ex quibus omnibus patet quod mens ejus fuit quod dimensiones subsistentes in Eucharistia convertantur divina virtute in materiam quantam, ut prædictum fuit. Et ideo ad argumenta facta contra oppositum, non oportet respondere.

Dicitur secundo, quod argumenta facta contra secundam partem divisionis ibi positū, scilicet con-

tra adyentum novā materię, non valent. Cum enim querit arguens, quando advenit illa materia, dicitur quod in instanti generationis novae substantiae. Nec valent improbationes hujus partis. Non quidem prima: quia non ponimus quod adveniat materia sine quantitate, sed potius quod venit per conversionem nova materia sub nova quantitate, divino miraculo. Item, nec valet secunda improbatio: quia, licet non interveniat corruptio alienus substantiae concordans generationem substantiam, intervenit tamen corruptio vel desinitio quantitatis subsistentis ad modum substantiae, et vicem gerentis substantiae panis quoad omnem actionem et passionem, ut dictum fuit in probatione conclusionis.

De predictis Petrus de Palude (dist. 42, q. 4) sic dicit: « Ex accidentibus potest aliquid generari et nutriti; licet quidam dicant quod sola divina virtute potest ex eis aliquid generari. Et, sine dubio, non sic potest ponī quod natura ex eis generet, sicut quod natura per eis generet. In his enim in quibus natura inferior et particularis deficit, natura superior et universalis subvenit, ne sit in natura monstrum. Unde quia esse corruptionem sine generatione, nisi(z) in nutritione, est monstrum in natura maius quam esse vacuum, cum ad illud sequatur vel materiam esse sine forma, vel ipsam annihilari et corrumpi; ideo, postquam species corrumpunt illud in quod agebant (puta species vini in (6) modicam quantitatem aquae), natura superior, vel ipsae species, in virtute naturae superioris creata, inducent formam vini in materia; sicut grave movetur sursum, ne sit vacuum. Sed ubi natura creata non potest, oportet ad Deum recurrere. Sic autem est in productione materie. Unde, cum ex his speciebus aliquid generatur, materia quae est in genito, aut est per creationem, et sic est a solo Deo; aut est conversionem specierunt in materiam, et nee hoc potest natura; sed, si Deus (7) potest annihilatum idem numero reparare, cum minus sit converti quam annihilari, potest multo magis materiam (8) conservare eamdem numero facere redire. Nec oportet propter hoc corpus Christi converti in panem: quia materia non fuit ipsi addita, sicut fit in nutritione; immo, etiam in nutritione, Deus posset materiam extrahere, quae fuit unita, et aquam de vino lymphato. — Vel posset dici quod in omnibus generatis ex speciebus erit forma substantialis cum accidentibus sine materia prima; quamvis melius videatur quod sit status in miraculis; nec, ultra hoc sacramentum, sit aliquod miraculosum, sed redatur ad statum naturae, Deo creante materiam, vel reparante, vel in eam accidentia convertente; quo-

(x) nisi. — non Pr.

(6) species vini in. — vinum Pr.

(7) si Deus. — Deus, qui, si Pr.

(8) materiam. — Om. Pr.

rūm omnium creatio videtur rationabilior, quia ad eum nihil novum sequitur, quod Deus alias non fecerit, cum omnis materia sit a Deo per creationem. — Item, de nutrione illi idem dicunt quod de generatione. Quia vel Deus materiali creat, vel reparat, vel in eam accidentia convertit. Sed non oportet quod, virtute divina, materia fiat sub forma nutriti, sicut oportet quod fiat simpliciter: quia materiam de novo creari, vel conversam vel annihilatam reparari, excedit virtutes nature; et plus creatio quam reparatio. Sed quod materia facta fiat sub forma nutriti, naturale est; nec excedit naturam formae, quod informet omnem potentiam sue materiae coniunctam. Item, non est imaginandum quod prius fiat materia sub speciebus, quam sub forma nutriti: quia tunc desineret esse prius ibi (α) corpus Christi, manentibus speciebus; quod non dicitur; quia, si posset ibi esse manente materia, nulla necessitas esset materiam converti propter presentiam corporis Christi; nec iterum materia posset esse sub accidentibus sine forma substanciali. Unde, cum sola (β) materia sit necessaria ad hoc quod ex speciebus fiat generatio et nutritio, ipsa sola reddit, et non priusquam fiat sub forma nutriti vel geniti. — Quod autem Thomas hic dicit, non posse redire substantiam panis, nec in totum, nec in partem, — verum est per naturam, vel (γ) per divinam potentiam (δ), supposito quod non possit annihilatum idem numero reparare, ex ipso principio hinc procedit. Alibi vero probat contrarium. Et, secundum illud, dicendum est quod multo magis potest reparare conversum quam annihilatum. Et sicut productio characteris potest communicari creature, non autem productio gratiae, sic restauratio conversi, non autem reparatio annihilati: quia ex quo annihilatum est, factum est nihil; ex nihilo autem creatura non agit; sed quod est conversum, et non annihilatum, non est factum omnino nihil, sed est redactum in esse potentiali, potentia obedientiali, et si non naturali; unde forte potest communicari. Et sic idem quod corruptit species, virtute Dei reparat ex eis materiam, quae in eis in potentia obedientiali remansit. Nam, si dicatur quod illud esse potentiale, in quo materia remansit, est in corpore Christi, et non in speciebus, cum corpus Christi a corruptiente species non attingatur, tunc a solo Deo fit reparatio illa. Sed quando sanctus Thomas dicit quod species convertuntur in materiam, vel quantitati interminata datur natura materiae; scilicet potentia, videtur sentire quod esse illud potentiale obedientiale remansit in speciebus, et esse potentiale naturale transit; quia, quantumvis

esse potentiale naturale sit essentia (α) materiae, nihil tamen prohibet esse aliquod esse potentiale (β) obedientiale et supernaturale, quod est alia essentia a materia, secundum hanc opinionem quae ponit formam et accidens posse converti in materiam. » — Hoc Petrus, et bene, et conformiter supradictis; praeter (γ) hoc quod ponit creationem materiae rationabilis postquam conversionem accidentium in materiam. Hoc enim non videtur: quia tunc genitum non fieret nec generaretur propriæ ex speciebus, si ly ex diceret habitudinem materiae, sed solum si ly ex dicit ordinem; ut sit sensus, ex speciebus, id est, post species, ex quo species nullo modo transeunt in substantiam geniti. Et de hoc diffuse loquitur sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 2, q. 4..

II. Ad argumentum Durandi. — Ad argumentum Durandi contraria cùndem conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 12, q. 4), dicens quod et argumentum deficit in tribus membris que assumit. — *Primo* quidem, quia potest dici quod quantitas corruptitur per contrarium. Quia sicut substantia non habet contrarium, est tamen susceptibilis contrariorum, ratione quorum omnis passio magis facta abhicit a substantia, et sic corruptitur substantia aquæ per corruptionem frigiditatis a suo contrario calido; sic, licet quantitati nihil sit contrarium, quia tamen est susceptibilis contrariorum, quorum unum est sibi connaturale et conservativum, aliud vero contrarium, ex quo refinet tale esse et talis naturæ qualè prius, dicitur corrupti per contrarium (δ). Licet enim quantitas de se sit indifferens ad calorem et frigiditatem, tamen quantitas, id est ignis, determinat sibi calorem, ut est aquæ (ε), determinat sibi frigus; et per corruptionem qualitatis connaturalis, et per adventum contrarie, corruptitur naturaliter. — *Secondo* potest dici quod corruptitur corruptione materiae, seu subjecti, non actualis, sed aptitudinalis, quia subjectum suum fuit corruptum quando fuit conversum, et nihilominus quantitas mansit. Seq; quia quantitati servatur idem esse quod prius, quia esse est terminus corruptionis, omnibus modis quibus poterat corrupti, et nunc. Unde omnis alteratio que corrupisset subjectum, si mansisset, corruptit ea que manent. Quia posset videri aliqui, quod sicut substantia est prior generatione, sic esset posterior corruptione (cum enim accidens non sit naturaliter sine subjecto, oportet prius esse substantiam quam accidens, alias esset ante substantiam; item oportet prius corrupti accidens quam substantiam,

(α) ibi. — in Pr.

(β) cum sola. — solum Pr.

(γ) vel. — sed Pr.

(δ) etiam. — Ad. Pr.

(α) essentia. — esse Pr.

(β) aliquod esse potentiale. — potentiale aliquod Pr.

(γ) praeter. — præterea Pr.

(δ) dicitur corrupti per contrarium. — Om. Pr.

(ε) aquæ. — aqua Pr.

alias inveniet post substantiam sine subjecto; dicitur autem accidentis corrupti corruptione subjecti, non sicut per causam efficientem, quae precedit effectum, sed sicut propter finalē, quae sequitur; ut sit sensus, quod quandocumque subjectum est corruptendum (2), prius omne accidentis ejus corruptitur, quia haec est dispositio ad corruptionem substantie; unde accidentis corruptitur propter substantiam corruptendam, sicut generatur propter genitam. — *Tertia* potest dici quod corruptitur per divisionem. Quia, licet quantitas, ut quantitas, sit divisibilis in infinitum; tamen, ut naturalis est, habet minimum. Et quia per naturam non potest quantitas ab omni qualitate naturali separari, quia per divisionem fieri potest ut nulla qualitas naturalis remaneat, quia in omni tali est dare minimum, per consequens, corrupta omni tali qualitate, corruptitur quantitas, que a quantitate omnino separari non potest, quia omnium natura constantia est terminus. — Et ideo *quarto* potest dici quod corruptitur per augmentationem. Quia enim quantitas retinet idem esse et ejusdem nature quod prius habuit, quia, secundum quod erat substantiae et talium qualitatum, erat diminuibilis et augmentabilis usque ad certum terminum, ultra quem non poterat manere in illo subjecto, nec cum illis qualitatibus connaturalibus, sed corruptitur; ita et nunc, per augmentum et diminutionem (3), per quam omnem qualitatem perderet, et perdidisset naturale subiectum. » — Hac Petrus, et bene.

Quomodo autem intelligenda sint ea que sanctus Thomas dicit in probatione hujus tertiae conclusionis de dimensionibus interminatis, et utrum medient inter materiam et formam substantialem, visum fuit in 2. *Sentent.* (dist. 48); nec oportet hic repetere.

Ad argumentum contra questionem, patet solutio per predicta (4).

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(2) *corruptendum*. — *corruptionem* Pr.

(3) *diminutionem*. — *divisionem* Pr.

(4) Cfr. *responsiones* datae ad argumenta contra secundam conclusionem.

DISTINCTIO XIII.

QUESTIO I.

UTRUM HOSTIE VEL SANGUINI A DUBIOSIS CONSECRATO POSSIT ALIQUID ADMISCERI

CIRCUS finem duodecimae distinctionis, et circa decimam tertiam distinctionem.

4. *Sententiarum*, queritur: Utrum hostie vel sanguini a dubiosis consecrato possit aliquid admisceri.

Et arguitur quod non. Quia nec plures possunt eandem hostiam consecrare, nec speciebus panis et vini potest aliquid admisceri. Ergo conclusio falsa.

— Antecedens probatur pro prima parte. Quia plurimi agentium sunt plures actiones, maxime quando quilibet sufficit ad agendum. Sed unus sacerdos tantum potest consecrare. Ergo, si plures consecrant simul, sunt plures consecrationes super eandem hostiam; et ita fit injuria sacramento. — Pro secunda parte, probatur. Quia, ut in 1. *de Generatione* (1. c. 83) probat Philosophus, accidentis non permittetur substantia. Sed quilibet liquor substantia quedam est. Cum ergo species sint tantum accidentia, videtur quod nihil possit eis permisceri.

In oppositum arguitur. — Et primo, pro prima parte questionis. Quia consuetudo est quarundam Ecclesiarum, quod novi sacerdotes in sua ordinatione Episcopo concelebrant super eandem materiam panis et vini. — Pro secunda parte, arguitur. Quia major est corrupti quam permisceri. Sed illae species possunt corrupti. Ergo et misceri.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod plures sacerdotes possunt simul unam et eandem hostiam, vel idem vitum consecrare.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 82, art. 2, ubi sic dicit: « Sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt